

ram abscessus extremitatem. Ex quo aperto, statim mucus profilivit, albumini persimilis, non carens aliqua flavitie, ut & semper antea, qualis ex meliceride; copia vero ipsius non fuit minima. Postea cavitationem ulceris totam replevi lenissimis filamentis siccis, & aliud gargarisma, seu oris collutionem ordinavimus ad prohibendum humorum affluxum atque ad arcendam inflammationem, ut est decoctum ex reb. frigidis, siccis, & adstringentibus quales sunt rosæ, plantago, balauſtia, folia mirthillorum, hordeum, violæ, & similia. In quo decocto adjiciebatur syrupus rosæ ex rosis siccis, & syrupus violaceus atque similia. Sequenti verò die post abscessus apertionem pro vera remotione causæ tot recidivarum, videlicet pro ablatione carnis flaccidæ, & cystis in ulcere existentis replevi cavitationem totam filamentis leviter intinctis in mea aqua aluminoſa stillatitia. Semel verò tantum in die, videlicet mane tali aqua utebar, ne ex nimio usu concitaretur aliquis dolor. Reliquo autem tempore, puer utebatur collutione supradicta. Aliquando etiam nempe ad suum libitum utebatur, in ore detinendo, supradictis syrupis absque decoctione suprascripta. Dictum fuit ut abstineret à vino, & comederet res molles, ne ex duritie ciborum lacerarentur labia ulceris, & incitaretur dolor. Vespere vero remotis filamentis in ulcus mane appositis, replebatur cavitas filamentis siccis cum paucis syrupo rosa-ceo. Hac itaque ratione per quatuor dies processit.